



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 63. Parma & Placentia a Cardonna, urbesque a Ferrariensi Duce recuperatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

**Sacul. XVI.** Corpus ejus ingenti pompa, atque magnificantia delatum, sepultumque fuit in Ecclesia S. Petri ad vincula. Ceterum metus suberat, ne eo defuncto Cardinales, quos schismaticos habebat, ex factione sua Papam eligere præsumerent, atque ex Synodi auctoritate ad se solos jus electionis, exclusis aliis, devolutum crederent, saltem tum timendi locus erat, ne illi Comitiis Pontificiis Romæ interesse prætenderent.

### §. LXIII.

#### *Parma & Placentia a Cardonna, urbesque a Ferrariensi Duce recuperatae.*

Verum inanis erat ille timor; solus enim Cardonna Neapolis Prorex Romanæ Curiæ tranquilitatem turbabat; quippe seditione in Sedem Apostolicam mota Parmensem, ac Placentinam urbes occupabat, illasque quantocius Mediolanensium Ducatui rursum adjungebat. Unde status Ecclesiastici præsidiariis ex utraque civitate excedentibus, cives Maximiliano Sfortiæ novo fidei sacramento sese obstrinxerunt. Dux quoque Ferrariensis cunctas urbes sibi a Julio e-reptas recuperare aggrediebatur, ac quasdam copias ex singulis urbium præsi- diis educebat, ut expeditam armatorum manum

manum contrahere posset, nec id sine Sæcul. XVI.  
prospero successu; Mutinam enim & Re- A.C. 1513.  
gium sibi subjiciebat, civibus mox portas  
aperientibus; ast Cardonna haud igna-  
rus, quam gravi odio Rex Catholicus in  
Ferrariæ Ducem exardesceret, motis in-  
terea castris, eum inde recedere compu-  
lit. Ceterum alios in Italia tumultus  
fuisse fuscitatos haud novimus.

## §. LXIV.

*Cardinales conclave ingressi.*

Die quarta Martii, quæ erat feria sex-  
ta, justis Pontifici de more persolu-  
tis, Strigoniensis Cardinalis Sacrum de  
Spiritu Sancto in Sacello S. Andreæ,  
quod alias Pii III. *capella* dicitur, cele-  
bravit, sermonem vero Castelli-maris E-  
piscopus habuit. Postmodum viginti  
quatuor Cardinales supplicantium ordine  
ad sacra Vaticani Palatii comitia pro-  
cesserunt, ea tamen die nonnisi Præsu-  
lum, ceterorumque conclavis Ministro-  
rum, & Conservatorum, urbisque Roma-  
næ Magistratum juramenta excipie-  
bant. Post hæc Cardinalis ærarii Ro-  
mani Præses, necnon Arragonensis, &  
Farnesius Cardinales cuncta lustrabant  
cubilia, ut inde, si qui forte adessent, o-  
mnes exterios, quibus comitia accedendi  
jus non esset, abigerent, quo facto januas

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXII. H h oc-*